

IX

AD MAECENATEM

Iambicus

Quandō repostum Caecubum ad fēstās dapēs,
Victōre laetus Caesare,
Tēcum sub altā (sīc Iovī grātum) domō,
Beāte Maecēnās, bibam
Sonante mixtum tībīs carmen lyrā,
Hāc Dōrium, illīs Barbarum ?
Vt nūper, āctus cum fretō Neptūnius
Dux fūgit, ustīs nāvibus,
Minātus urbī vincla, quae dētraxerat
Servīs amīcus perfidīs.
Rōmānus, ēheu ! (posterī negābitis)
Ēmancipātus fēminae,
Fert vallum et arma mīles, et spadōnibus
Servīre rūgōsīs potest :
Interque sīgna turpe mīlitāria
Sōl aspicit cōnōpium.
At hūc frementēs vertērunt bis mīlle equōs
Gallī canentēs Caesarem ;
Hostīliumque nāvium portū latent
Puppēs sinistrōrsum citae.
Iō Triumphe, tū morāris aureōs
Currūs, et intāctās bovēs ;
Iō Triumphe, nec Iugurthīnō parem
Bellō reportāstī ducem,
Neque Āfricānō, cui super Carthāginem
Virtūs sepulcrum condidit.
Terrā marīque victus hostis, Pūnicō
Lūgubre mūtāvit sagum ;
Aut ille centum nōbilem Crētam urbibus,
Ventīs itūrus nōn suīs,
Exercitātās aut petit Syrtēs Notō ;
Aut fertur incertō marī.
Capāciōrēs affēr hūc, puer, scyphōs,
Et Chīa vīna, aut Lesbia ;
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Mētīre nōbīs Caecubum.
Cūram metumque Caesaris rērum iuvat
Dulcī Lyaeō solvere.